

nos facere, ita ut cum effectu faciamus, etiam facit physice nostrum facere, et ita nihil habemus quod non sit ab ipso physice et proprie; facit autem nostrum facere non solus, sed faciendo nobiscum. Non enim quidquid Deus nobis donat solus ipse facit, sed quædam donat faciendo nobiscum juxta Concilium Arausicanum, et Augustinum.

CAPUT XXIII.

SATISFIT ALTERI OBJECTIONI, ET A VARIIS INCOMMODIS DOCTRINA DATA VINDICATUR.

1. *Altera objectio.*—Altera objectio, sæpius repelita contra nos, est, quod ex nostra sententia sequitur, vel potius quod asseramus, prius natura nos efficere determinationem nostram, quam Deus physice nos adjuvet: consequens est absurdum. Quod variis propositionibus nobis attributis ostendunt. Et imprimis F. Davila tres potissime inter alias ponit. Prima est: *Quod liberum arbitrium suis viribus inchoet opus pietatis, ut opus inceptum gratia promoveat et consummet*; secunda: *Partem aliquam operis pii fieri a libero arbitrio solo, partem a Deo, et illam, quæ est a libero arbitrio, esse priorem*; tertia: *Habere hominem aliquid per solum liberum arbitrium, quo se discernit*, etc.

2. Secundo, Petrus Cabrera, eandem doctrinam nobis attribuens, primo sententiam nostram his verbis refert: *Asserunt voluntatem prius se determinare ad operandum in actibus liberis ex vi suæ libertatis, et sufficientis auxilii, quam Deus concurrat per auxilium efficax.* Ex quo principio has propositiones infert: prima est: *Itaque Deus voluntatem jam determinatam adjuvat, ut talem actum perficiat*; secunda: *Secundum istam sententiam, voluntas constituta in actu primo per auxilium sufficiens, reducitur ad actum secundum se sola, et per seipsam.* Statim vero addit: *Sed ad eam reductionem concomitanter concurrat auxilium efficax.* Tertia: *Itaque in hac opinione hæc propositio est vera, quia voluntas se determinat ad hunc actum, et contraria est falsa.* Et tamen subdit quod, licet negemus concursum Dei esse aliquid prius datum voluntati jam constitutæ in actu primo, quo applicetur, et reddatur potens ad operandum, nihilominus docemus illum concursum esse immediatum influxum in actionem simul cum libero arbitrio, et quod concursus Dei per auxilium efficax, neque tempore neque natura antecedit concursum voluntatis ad eandem

actionem, *sed influxus liberi arbitrii et auxilii efficacis a se mutuo pendent, et simul omnino sunt, et in eandem numero actionem.* Infert autem hic auctor illas propositiones, non tanquam inconvenientia, quæ ex nostra opinione sequantur, sed tanquam sententiæ quæ a nobis asseruntur. Ego autem, ne iudicem voluisse nobis falsum imponere, illa refero tanquam illationes contra nos factas et objectas. Et in fine illius paragraphi, num. 109, me solum refert tanquam illius doctrinæ assertorem, in disp. 22 Metaph., sect. 2, et l. 1 de Auxil., cap. 5, et lib. 2, cap. 7 et 8.

3. *Alvarez.*—Tertio, eandem nobis in summa objicit Alvarez, nam disput. 22, num. 11, in fine, ait nos appellare determinationem Dei condeterminationem, et addit: *Sed verius dixissent postdeterminationem, cum revera in eorum sententia determinationem creatæ voluntatis ordine naturæ subsequatur*, quod in disp. 99 se probaturum promittit; in illo autem loco non probat, sed supponit nos asserere has tres propositiones causales esse veras: *Quia homo operatur, Deus operatur; Quia homo vult consentire, ideo adjuvatur; Quia homo vult converti, ideo gratia excitans transit in adjuvantem, seu cooperantem.* Et his suppositis, in eas invehitur tanquam in assertiones Semipelagianorum quas Prosper et Hilarius ad Augustinum detulerunt, de quibus ipse contra Semipelagianos maxime disputavit.

4. *Cumel.*—Quarto, eodem plane modo de me sentit Cumel, dicto lib. 1, disp. 4, in principio; § Certe, ubi me sentire dicit, *Deum expectare influxum voluntatis humanæ, prævidendo ipsum per scientiam mediam, antecederet ad influxum suum divinæ gratiæ, et ad ejus etiam concursum.* In quibus verbis solum pondero particulam illam *antecederet*, nam reliqua, quæ ad præscientiam conditionatam pertinent, superius tractata sunt; de altera vero sententia, quod Deus expectet influxum nostræ voluntatis, infra dicendum est. Expressius vero, eadem disput. 4, sect. 3, post primam conclusionem, sic inquit: *Videntur nonnulli auctores hujus ætatis sentire quod Deus et gratia illius solum tribuunt initium justificationis remotum, videlicet, primam excitationem, hominem vero, supposita illa excitatione, incipere prius natura liberam conversionem, per quam proxime et immediate præparatur ad gratiam, et posterius natura, quia voluit homo consentire, Deum velle hic et nunc adjuvare illam, simultaneo concursu.* Et postea me solum allegat, confertque inter se varia verba mea.

Item inferius, post secundam conclusionem, sub tit. *Aperitur campus*, etc., § Sane, sic argumentatur: *Si efficia auxilii et gratiæ actualis Dei proveniret ex nobis, sola autem sufficientia esset ex Deo, sequeretur, quod principale est, in nostra conversione, tribuendum nobis esse.* In qua argumentatione videtur particulam assumere *ex nobis* exclusive, alias frivola esset argumentatio. Unde satis declarat exclusivam cum dicit: *Sola autem sufficientia esset ex Deo*; supponit ergo nos hoc docere vel hoc sequi ex nostra sententia.

5. *Ledesma.*—Quinto, P. Ledesma, art. 15, prius de nobis omnibus, quos ab schola et doctrina D. Thomæ relegat, solum ait quod negemus Deum prius natura efficere in nobis consensum quam nos illum faciamus: *Sed ad minus, inquit, tenent quod debent esse simul prædeterminatio et præmotio Dei et etiam creaturæ, quæ quidem secundum istos non debet esse prædeterminatio neque præmotio.* Et ad hoc ostendendum, inferius multa ex libris nostris adducit. Et nihilominus ibidem subjungit aliquos ex nostris dicere, *quod voluntas creata prius natura prædeterminat se ad ipsam operationem, supposito divino auxilio sufficiente, quia sine prædeterminatione efficacis auxilii ipsa voluntas elevata per auxilium sufficiens potest seipsam applicare, et prædeterminare prius natura, et tunc veluti subsequitur divina operatio.* Et citat solum Molinam, referens fideliter ejus verba ex Conc., pag. 186, hoc est ad q. 14, a. 13, disp. 29, § ult., et ex eis colligit Molinam aperte significare quod, *supposito auxilio sufficiente et præveniente, ipsa voluntas libere se applicat et movet prius natura ad opera supernaturalia, et Deus tunc cooperatur cum ipsa voluntate; cæterum in ordine ad effectum naturalem neutra istarum est prius altera.* Quomodo autem id ex verbis Molinæ colligat, non declarat, neque invenio unde id colligere poterit.

6. Circa hanc objectionem, adverto nonnullos Theologos absolute concedere, tam in operibus gratiæ quam naturæ, voluntatem nostram prius natura influere in suum actum, quam Deus in illum inflat per generalem vel specialem concursum. Ita tenet Cordova in Quæstion., lib. 1, quæst. 55, dub. 8, et late id explicat dubio 10, versus finem, et refert pro hac sententia Gregorium, in 1, distinct. 38, art. 2, ubi tamen solum ait cum Okam voluntatem nostram non determinari a voluntate divina efficienter illam prædeterminante. At vero in 2, disputat. 37, artic. 3, ad 8, dicere

videtur quod Deus, in suo concursu, sequitur determinationem voluntatis, et causalem illam admittit: Ideo Deus agit talem actum, quia illum voluntas agit, et non ideo voluntas agit, quia Deus agit. Sequitur Lorea, disp. 38 de Peccatis, et disp. 30 de Grat.

7. Hæc vero sententia nobis non probatur, et sæpe in superioribus rejecta est, quia cum omnis actio liberi arbitrii, in quocumque signo naturæ consideretur, essentialiter pendet a concursu Dei, impossibile est quod vero et proprio ordine naturæ, seu causalitatis, præcedat actio liberi arbitrii, vel quod sit causa vel ratio ob quam Deus in illam influat. Quod in re fatetur etiam Gregorius supra, ubi locutionem corrigit, dicens non esse intelligendum, quod prius natura voluntas aliquid agat quam Deus, proprie loquendo de prioritate naturæ, sed solum quod voluntas humana, influens in talem actum, sit quodammodo ratio et motivum ob quod voluntas divina determinet suum concursum ad eundem actum. Et idem fere vult Cordova, distinguens tria signa rationis, in quorum primo voluntas divina se determinat ad concurrendum cum voluntate humana ad quemlibet actum; in secundo, illa generalis voluntas Dei determinatur ad talem actum, et ad exercitium ejus futurum; in tertio, utraque voluntas simul coagunt talem actum. Hæc autem omnia necessaria non sunt, nec rem declarant, sed obscuriorem reddunt. Prius ergo natura et æternitate antecedit voluntas Dei offerens concursum simultaneum, et postea in tempore utraque voluntas simul tempore et natura operantur eundem actum; neque est necessarius ullus ordo vel causalitas inter utramque causam vel influxum earum, ut in lib. 3 de generali concursu naturæ et gratiæ dixi. Eademque ratio est de actuali influxu proximi principii gratiæ cum voluntate supernaturalem actum eliciente.

8. *Respondetur ad objectionem.*—Ad totam ergo illam objectionem tria dicimus: primum est illam doctrinam, et propositiones quibus explicatur, adeo esse a nostris scriptis alienas, ut contrariæ formaliter et expresse in eis habeantur. Id ostendo imprimis ex eisdem locis meorum librorum quæ in contrarium allegantur; nam in Metaph., disp. 22, sect. 2, nihil eorum reperietur quæ Cabrera allegat; imo, in num. 54, in fine, attingens punctum de ordine prioris et posterioris natura inter influxum causæ primæ et secundæ, illius resolutionem remitto in sect. 3, ubi, num. 10, ostendo non inveniri talem ordinem, sed esse

omnino simul, quia sunt una indivisibilis actio, in qua non potest ordo causalitatis inveniri, et sub aliis rationibus declaro influxum causæ primæ esse natura priorem. In libro autem primo de Auxiliis, a cap. 5, ostendo quidem non esse necessarium, neque dari concursum prævium aut prædeterminantem, præsertim ad actus liberos, et maxime ad actus peccatorum, ut in eodem libro latius doceo. De prioritate autem liberi arbitrii, verbum nullum in locis inde allegatis invenitur; imo, in lib. 1, cap. 15, a numero 7, idem dixi quod in Metaphysica. Et lib. 3, cap. 22, numero 4 et 5, de voluntatis determinatione ad actum supernaturalem, similiter dixi non esse prius ab homine quam a Deo, imo a Deo esse prius, id est, principalius, vel prius ratione auxilii prævenientis, licet, ratione concursus seu actualis influxus, non sit prior influxus Dei secundum propriam rationem causalitatis, sed omnino simul.

9. Ex P. Molina, unus ille locus, quem Ledesma refert, intentioni nostræ demonstrandæ sufficiebat, sic enim habet: *Dicendum ergo est non prius Deum concurrere concursu universali ad effectus causarum secundarum, quam causas secundas; aut, e contrario, neque prius existere unum influxum quam alium, sed utrumque immediatum in actionem et effectum producendum, atque a se invicem dependere, ut existant. In quo etiam est latissimum discrimen, et maxime notandum inter concursum Dei universalem cum causis secundis ad agendum naturaliter, et auxilium particulare, gratiamque prævenientem ad actus supernaturales, quibus arbitrium ad gratiam disponitur. Etenim, ut ex his quæ a disputatione octava dicta sunt, ex parte constat, et in sequentibus amplius explicabitur, omnino est dicendum concursum Dei particularem gratiamque prævenientem, semper vel natura antecedere influxum liberi arbitrii ad actiones suas supernaturales, quibus ad gratiam gratum facientem disponitur, tanquam causa principiumque efficiens in liberum arbitrium immissum, quo mediante Deus ulterius una cum libero influxu ejusdem arbitrii in hujusmodi operationes supernaturales influit. At vero, cum Deus, per concursum universalem, et causa secunda immediate influant in effectum causæ secundæ, tanquam duæ partes unius integræ causæ, quarum neutra illis præcise influxibus singularibus influit in alteram, sed utraque immediate in effectum fit, ut neutra illis præcise singularibus prius altera concurrat.*

10. Cum ergo Molina universaliter loquatur

de influxu Dei, ut causa universalis, cum causis particularibus, et ipse Ledesma fateatur Molinam docere in causis naturalibus non esse prioritatem inter illas causas, non video unde colligat illum in operibus gratiæ aliter sensisse. Nam differentia quam ibi ponit Molina inter utrasque causas, non est in auxilio simultaneo, sed in præveniente, quia in causis naturalibus non censet esse per se necessarium, in liberis autem in ordine ad actus supernaturales catholice docet esse necessarium, non ut prædeterminet, sed ut det virtutem et principium agendi. Postquam autem voluntas sic est præventa, illam Molina comprehendit sub causis secundis completis in actu primo ad agendum, quæ jam non indigent nisi simultaneo concursu, cum quo simul natura, et non prius quam prima causa, operantur. Atque in hunc modum suam sententiam expresse declarat in eodem libro, disputatione 39, in Lusitana editione, et 41 in Antuerpiana, ubi expresse declarat, et influxum Dei per concursum generalem, et influxum prævenientis gratiæ in actus supernaturales, esse omnino simul natura cum influxu liberi arbitrii, et hunc nullo modo posse esse priorem. Et hanc doctrinam sæpissime in illo opere repetit, ut videre licet disp. 28, alias 29 et aliis.

11. *Refelluntur aliæ propositiones a F. Davila illatæ.* — Hinc facile refelluntur aliæ propositiones a F. Davila illatæ vel assertæ. Nam contra primam, idem Molina, in disp. 39, alias 40, § *Possumus*, docet in contritione nihil esse quod supernaturale non sit, et quod non simul a Deo emanet, non solum tanquam ab excitante, et invitante, et alliciente, sed etiam tanquam a cooperante, id est, non tantum moraliter, sed etiam physice. Contra secundam vero, in disp. 38, addita in editione Antuerpiana, § *Illud deinde*, docet liberum arbitrium et gratiam esse causas partiales, non partialitate effectus, sed causæ, nihilque esse in libero actu supernaturali quod a solo libero arbitrio fiat, non innuente simul Deo et ejus gratia. Quod etiam dixerat in editione priori, disp. 36 et 38, quæ est 40 in posteriori, § *Possumus*. Et hinc infert ibi, et in § *Ad primum*, contra tertiam propositionem illi objectam, nihil habere adultum justificatum de quo gloriari possit, ac si a Deo non acceperit omne id in quo a non justificato discernitur. Et inde infert in eadem disputat., § *Ad secundum*, dicendum non esse ex duobus æque vocatis, unum converti pro sola sua libertate, sed simul cum auxilio cooperantis gratiæ Dei.

12. *Refutatur prima propositio objecta a Cabrera.* — Prima vero propositio objecta a P. Cabrera, quatenus prioritatem tribuit libero arbitrio, jam refutata est; addo vero in se involvere repugnantiam. Fatemur enim nos asserere voluntatem se determinare ex vi suæ libertatis et sufficientis auxilii; in hoc autem includitur determinationem non esse prius ex sola libertate, sed simul esse ex virtute gratiæ; repugnat ergo quod subdit, prius esse hanc determinationem quam Deus ad illam concurrat per auxilium efficax, quia, eo ipso quod gratia influit in ipsam determinationem, fit et ostenditur efficax in actu secundo, ut Molina frequenter docet. Similis contradictio in secunda propositione invenitur, in qua prior illa pars, quod voluntas, constituta in actu primo per auxilium sufficiens, se sola et per seipsam se reducat in actum secundum, est contra expressa verba Molinæ, et contra alteram partem, in qua dicit, etiam ex sententia Molinæ, ad eam reductionem concomitanter concurrere auxilium efficax. Quomodo ergo se sola, si non se reducit sine concursu gratiæ efficacis? Similis contradictio invenitur in his quæ idem auctor refert et confitetur in tertia propositione, ut paulo inferius declarabo.

13. *Instantia. — Refellitur.* — Possent illi auctores respondere quod, licet in quibusdam locis prioritatem negemus, ex dictis a nobis in aliis locis inferatur, et ita per inscitiam repugnantia dicamus. Ad hoc refellendum, addimus secundum dictum quod proposui, nimirum, nihil eorum quæ in objectione asseruntur, nobisque tribuuntur, ex dictis nostris vel probabiliter vel etiam apparenter sequi. Hoc probatur imprimis de illo principali absurdo quod in illa objectione infertur, quia sequitur, aiunt, nos prius natura efficere determinationem nostram, quam Deus physice nos adjuvet; negatur enim sequela, transit enim ab extremo ad extremum sine medio. Ex eo enim quod asserimus concursum Dei non esse priorem, inferunt esse posteriorem, cum tamen detur medium quod nos asserimus, scilicet, esse simultaneum. Item transitum faciunt a verbo prædeterminandi ad verbum adjuvandi; nam, quia dicimus voluntatem se determinare priusquam a Deo physice prædeterminetur, imo sine tali prædeterminatione, inferunt quod se determinet priusquam Deus illam physice adjuvet, quæ illatio valde frivola est, quia datur adjutorium physicum et simultaneum: tale est enim adjutorium generalis concursus, et specialis influxus principiorum

cooperantis gratiæ. Quin potius, ex ipsa ratione adjutorii nos inferimus, cum Augustino, debere esse omnino simul et non prius sub illa ratione, ut lib. 3 de auxilio gratiæ adjuvantis declaravimus. Hinc aperte corrumpunt illæ propositiones, quarum illationes in hac prima fundatur. Cum ergo F. Davila infert primo liberum arbitrium *suis viribus* inchoare opus pietatis, si excludat cooperantem gratiam, ut indicant illa verba *suis viribus*, male infert, quia si liberum arbitrium non prius inchoat, quam a Deo juvetur per gratiam physice cooperantem, certe non suis viribus inchoat. Si autem particula *suis viribus* non excludat cooperationem gratiæ, sed solum significet voluntatem sua libertate inchoare cum cooperante gratia opus pietatis, supposita vocatione Dei, sic catholica est doctrina, ut capite sequenti ostendemus. Quod autem additur, voluntatem suis viribus inchoare opus, ut illud *inceptum gratia perficiat et consummet*, male infertur, et ad priorem sensum in rigore pertinet. Nam liberum arbitrium non solis suis viribus, sed gratia physice adjutum, opus inchoat; ergo gratia non tantum physice adjuvat ad perfectionem et consummationem pii operis, sed etiam ad ejus inchoationem, cujus contrarium per illa verba significatur. Verius ergo diceretur gratiam juvare ad inchoandum opus, ut postea etiam ad illud perficiendum et consummandum juvet, juxta illud: *Qui cepit in vobis opus bonum, ipse perficiet*. Secunda item illatio, *quod pars operis fit a libero arbitrio, et pars a gratia*, ineptissima est, quia si nihil est a libero arbitrio, prius quam a concursu et adjutorio Dei, quomodo inferri potest partem aliquam facere solum liberum arbitrium? Tertia etiam illatio ruit, quia arbitrium solum nihil facit sine gratia; ergo, licet simul cooperetur ad actum quo se ab alio discernit, non ideo solus facit aliquid quo se discernat. Unde ad summum inferri posset non solum gratiam discernere justum ab injusto, quod in adultis, et quoad discretionem quæ in executione fit, omnino concedendum est, juxta illud Augustini: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te*, ut infra iterum dicemus, verba Pauli tractando.

14. *Refutantur aliæ propositiones quas infert Cabrera.* — Ex aliis vero propositionibus quas infert Cabrera, duæ priores satis jam rejectæ sunt. Tertia vero est de ista causali propositione: *Quia voluntas se determinat, ideo Deus efficaciter auxiliatur ad eundem actum; et e contrario hæc erit falsa: Quia Deus auxi-*